

SVM, FRIDERICI III prudentia in Academia Viennensi studia
 Mathematica excitata primum in Germania florere cœperunt. Is ex Arabi-
 co Idioma in latinum non pauca, tum etiam magnum illud Ptolemai opus
 maximis sumptibus conuertendum curauit. Claruerunt in eius Academia Ge-
 orgius Purbachius & Ioannes Regiomontanus duo Mathematicorum in
 Germania eius ætatis Lumina. Horum alter liberalitate & munificentia
 Imperatoris adiutus, Tabulas Eclipsuum edidit: alterum FRIDERICO
 mortuo Vngaria rex MATTHIAS liberalissimè dum vixit secum
 habuit. FRIDERICVM secuti sunt MAXIMILIANVS
 I, CAROLVS V, FERDINANDVS, MAXIMI-
 LIANVS II Austriaci, qui omnes quidem studijs Mathematicis co-
 lendis & promouendis exemplo C. IULII CAESARIS, aliquam
 sui quoq; Imperij & gubernationis partem etiam difficilima, studiosè & dili-
 genter tribuerunt. Sed quod pace MAIORVM dixerim, nemo illo-
 rum impensius, quàm Imperator RVDOLPHVS II. quem si
 quando Imperij res & negotia respirare patiuntur, haud vllis potius se re-
 bus, quàm Mathematicis oblectare solet. AVSTRIACORVM
 autem priscorum emuli SAXONES ELECTORES, inde à
 FRIDERICO SAPIENTE Academia Vitebergensis
 FVNDATEORE, id maximè curârunt, vt præter claros in omni do-
 ctrinarum genere viros, in Academia sua essent præstantes Mathematici,
 ex quibus vt alio taceam, fuit ille TABVLARVM PRVT-
 ENICARVM conditor Erasmus Reinholdus, & Georgius Ioachimus
 Rheticus præceptor, quorum alteri successit clarissimus vir D. Caspar Peu-
 cerus. Quibus artificibus ad quantam celebritatem studia Mathematica
 in illa Academia peruenerint, quis ignorat? At qui hoc sanè non nisi autori-
 tate & præmijs Sapientissimorum Saxonie Ducum, in omnes partes optima
 gubernationis laudatissimorum regum & Imperatorum exempla intuenti-
 um, factum est cùm reliquorum, tum vel maximè ELECTORIS
 AVGVSTI, qui princeps quantoperè & delectatus his artibus fue-
 rit, & quanta cum industria in his versatus aliquando, alii alio loco dignè præ-
 dicandum relinquo. Hic verò nullo modo mihi prætereundi sunt illi vestri
 agnati & cognati, inter quos primas sibi vendicat OTHO HEINRI-
 CVS, cœlestis huius philosophiæ cupiditate & studio inflammatus, nō cog-
 nitione tantum singulari artem hanc tenuit, sed etiam opera & manu adhibita,
 quoties à negotijs gubernationis relaxare animum voluit, usurpauit. Sciote-
 rica, Gnomones, & similia ipse descripsit & confecit, quemadmodum testan-
 tur huius generis opera iis in locis posita, quibus per secessum fuit delectatus. &
 loquuntur idem instrumenta, ab ipso in hunc usum quouis pretio parata, &
 inter cetera monumēta Palatinati relicta. In primis verò C. V. auunculus
 LANTGRAVIVS VVILHELMVS, vt inter literatissi-
 mos GERMANIAE Principes primas tenuit, ita tanto huius præstan-
 tissimi